



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXXXX. ne Clericivel Monachi &.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

proprium Ecclesiæ ut Ecclesia est. (imò prohibitum ne negotientur c. multa c. secundum. *tit. seq.* Unde si gratis commodarent, esset actus amicitie,) sed ut est Communitas quædam, vel persona privata patiens temporalem necessitatem, ut non lædatur libertas, sunt enim hæc res temporales & magis vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. *Can. animæ xlii. q. 2. Sic & Tributum imponi potest saluti, thuri, cere, quamvis hæc res etiam ad usum Ecclesiæ sint necessaria. Unde idem num. 13. habet: Zelus Ecclesiastica libertatis scientia & prudentia est temperandus. Ad cap. fin. de rebus Eccl. alien. in quo fit mentio mortuorum, respondet non intelligi hæc apparamenta, sed res, quæ profunt defuncto uti sacrificia, legata pia. Et ita Panormit. Unde infert non valere constitutiones, ut pro anima defuncti non legantur nisi tot sacra &c. Sic nec valent ratione vestium sacratarum, quia hæc sunt Ecclesiæ in sensu formali & spiritualibus annexæ.*

AD TIT. L.

Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

AD num. 1. in fine adde. Prælati Ecclesiastici non tenentur (imò nec possunt) ea, quæ ad bonam Ecclesiæ conservandam sunt necessaria, v. g. lites &c. omittere ad evitanda scandala pharisaica, imò etiam pusillorum, etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis. *Busenb. lib. 2. tr. 3. cap. 2. dub. 5. art. 2.*

Negotiatio est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram & non mutam cariùs vendendo, vel permutando lucretur. Quod quia obnoxium est periculo multorum peccatorum, & valde distractivum ac indeceus statui Clericali sic lucris inhiare, idè prohibitum Clericis in sacris & Religiosis sub mortali, si multam negotiationi dent operam. *Busenb. lib. 3. tr. 5. cap. 3. dub. 8. art. 2.*

Nec licet Clericis, vel Monachis laici causâ possessiones conducere; Ministros & Procuratores esse Laicorum. Nec proferre, nec dictare sententiam sanguinis debent, nec quidquam aliud exercere, per quod ad effusionem sanguinis perveniat. *Gonz. ad c. 5. & 6. h. tit.*

LIBER QUARTUS.

AD TITUL. I.

De Sponsalibus & matrimoniiis.

Observandum. Si lis inter desponsatos oriatur super valore vel nullitate sponsaliorum, quæ amicabiliter componi non possit, quod Parochus non debeat esse Judex causam suâ sententiâ dirimens, sed debeat partes ad Consistorium Episcopale remittere juxta text. & *DD.* in cap. 1. de consangu. & affin.

Ad num. 3. post verbum. Repromissio, adde. Si Titius promissit nuptias Cajæ, & hæc acceptet sine repromissione, neuter